PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXVII
AD PRIDIE KAL. SEXTILES A. MDCCCXVIII

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAEFATVS EST

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK

*DE NVPERIS INVENTIS
MEDIOLANENSIBVS.*

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

De inventis, quibus Mediolani eruditissimus vir, *Angelus Maius*, quatuor abhinc annis continuis rempublicam litterariam ditavit, non solum fama per eruditorum orbem celebrata est; sed haud contemnendae veterum librorum, qui dudum deperditi habebantur, copiae, *unius* industria ac labore incredibili detectae, multorum in Germania, Gallia, Anglia, ingeniosorum aeque ac doctissimorum virorum primo animum adverterunt, mox studia inflammarunt, adeo ut quae vel ad sanandas ac reficiendas, vel ad illustrandas venerandae antiquitatis has reliquias, ingenii, artis et doctrinae ope commode excogitare possent, certatim in medium conferrent. Qui fit igitur, ut apud nostrates, eventuum in doctorum civitate maxime memorabilium a) ne fama quidem percrebruerit. Certe silent adhuc quotquot in terris his ac vicinis Polonorum sermone perscripta, in dies magis succrescunt *Memorabilia* b), *Diaria* c), *Hebdomades* d), *Ephemerides* e), *Nuncii vicatim sparsi* f), et si quae alia sint quae diligentiam nostram fugerint, ad unum omnia. »Scilicet, inquis, talia populus curat!« — At Vos curabitis, Commilitones, quos, magna Patriae et Bonarum Artium spe, alma haec litterarum Parens et Nutrix educandos suscepit; Vos curabitis, quibus utinam haud sordeant unquam, quaecunque, et quia populo sordent! Vos mementote, litterarum ac disciplinarum spatia haec, quae faustis ominibus estis ingressi, liberrima esse, nullis ab avaro quodam possessore dominove, sibi suisque tantum bonis plaudente, aggeribus cincta vel occlusa; boni autem agricolae atque fortis coloni esse, agrorum quamvis late patentium nullam partem negligere,

---

(*a*) *Niebuhrius* in ep. dedicatoria Frontonis editioni Berolinensi praefixa p. IV. „Evanuerat spes illa quae per plurimos annos tenuit philologos, fore ut ex Herculanensibus chartis in vitam redirent plurimi utriusque linguae libri, qui seu maiorum culpa seu casu periisse viderentur, cum apparerent insperata illa inventa Mediolanensia ex codicibus rescriptis, multo sane haec quidem pleniora et fructuosiora, quam quae ex illis carbonibus aut prodierunt, aut prodire unquam posse compertum est. Liceat nobis praedicare, quod iis qui a studiis nostris alieni sunt, vanum fortasse videbitur, destinatum hoc fuisse huic saeculo, quod eventuum magnitudine et miraculo prae ceteris inclaruit, ut, quemadmodum libertas quae perierat divinitus civium nostrorum virtute nobis redderetur, ita scriptores quoque veteres aliquot, quos tamquam in aeternum perditos doleremus, reviviscerent subito.“

(*b*) *Pamiętniki*. Warszawski, Lwowski cet.

(*c*) *Dziennik Wileński*.

(*d*) *Tygodnik Wileński*.

(*e*) *Gazety*, *Kuryer* cet.

(*f*) *Wiadomości Brukowe*.

intentiorem vero curam et operam iis arvis subigendis impendere, quae adhuc inculta iacent, aut lappis tribulisque, carduo et lolio infelici obsita horrent. Hanc curam, hoc studium acerrimum a Vobis exspectant Graecorum et Romanorum litterae, maioribus vestris olim familiarissimae, quas qui colunt, quum ingenio, menti, animo moribusque expoliendis maxime operam dent, *humanitatis studiis* teneri recte dicuntur. Enimvero non sic eas coli putatote, ut unum aut alterum poëtam, oratorem, historicum, graecum latinumve, ac ne hunc quidem integrum, sed particulatim, quasi flores quosdam hinc inde decerptos, carminum frustula quaedam, historiolas, oratiunculas, temere arreptas parumque intellectas, sine ulla vel rerum vel verborum et sententiarum cognitione vel antiquitatis sensu iudicioque, memoriter recitetis, aut in vernaculum quomodocunque vertatis sermonem: quae veterum scriptorum tractandorum ratio omnium deterrima funditus tollenda est. Quicunqne sacris his rite initiari vult, is veterum utriusque gentis linguarum et litterarum et ipsius antiquitatis interiori scientia imbuendum se tradat necesse est: Graecorum et Romanorum scripta, quae supersunt, continua ordine perlegat, mentemque et animum tum rerum doctrinaeque copiis ac varietate, qua distincta sunt, instruat, alat, reficiat, tum orationis simplicitate, proprietate, elegantia attentum teneat, et ad simile quid audendum fingat: legendi autem hanc legem servet, ut non singulas tantum operis partes, sed etiam totum studiose consideret, scripti argumentum, consilium scriptoris, artemque scribendi diligenter expendat: denique sedulo curet, ut ad accuratam rerum ac verborum interpretationem grammaticam atque historicam accedat iudicium subtile de lectionis veritate vel probabilitate, deque operis quod tractatur forma genuina veroque auctore. Quo quidem iudicio et textus corruptelae, multis de causis antiquis libris librorumque editionibus illatae, indagantur, et *criticae* artis ope, quoad eius fieri possit, removentur, et, si dubius, incertus, aut manifesto spurius auctor libelli perhibetur, quum tempus ad quod referendus sit liber, tum scriptor a quo conditus sit, argumentis magis minusve certis aut saltem probabilibus definitur.

Ab his artis et doctrinae copiis haud mediocriter instructus philologus Mediolanensis, a quo totus hic ductus est sermo, intra paucorum annorum spatium, e codicibus maximam partem *rescriptis* (g) sive *palimpsestis*, in bibliotheca Ambrosiana asser-

---

(g) Sic vocantur Membranae quarum vetus scriptura aut scalpro rasa, aut ablutione depulsa est, quo nimirum novae scriptioni locus in iisdem chartis pararetur. Quae res, inquit doctissimus *Maius*, in dissertat. de Ciceronis fragmentorum nupera inventione, quum sit veritate certissima, ne fide tamen paene incredibilis videatur, reputandum est, idem quodammodo et numis et picturis et statuis et universae architectorum arti accidisse. Nam et recusos numos, et tabulas interpolatas, et signa refecta, et aedificia alienis usibus accommodata quis demum ignorat? Sed ut in scriptura sistamus, apud Graecos, quos serius barbaries corripuit, saeculis demum infra duodecimum a Christo nato ea pestis in libros grassata est (v. Montfaucon Palaeogr. Graec. p. 319.). Verum apud Latinos iam inde a septimo saeculo rescriptos codices haud raro reperies. Itaque praestantissimi aureae aetatis scriptores ineptissimis rudis aevi commentis saepe decesserunt. Quos in codices si quando incidas, vel ipsi ingentes et pulcherrimi

vatis, summo exantlato labore eruit, primusque in lucem protraxit

1. *Ciceronis sex orationum*, pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco, in Clodium et Curionem, de aere alieno Milonis, de rege Alexandrino, *partes ineditas*, cum commentariis antiquis item ineditis in eiusdem Ciceronis duodecim orationes, et orationis C. Gracchi fragmento (*h*).

2. Q. *Aurelii Symmachi* (Senatoris Romani gravissimi seculo IV[to] exeunte, sub Gratiano, Valeriano II. et Theodosio M. summis honoribus functi (*i*), cuius *epistolarum* ad diversos libri X dudum exstabant, *orationes* autem ab eo habitae interiisse putabantur) *octo harum orationum*, partim in laudem Imperatorum Valentiniani I. et II. ac Gratiani scriptarum, *insignes reliquias*.

3. *M. Acci Plauti Fragmenta inedita* (versus, ipso Maio auctore, circiter LX integros, multosque praeterea abruptos, denique argumenti Pseudoli inediti versus XV); item ad *P. Terentium commentationes et picturas ineditas* (*l*).

---

antiquae scripturae ductus, qui sub nova barbarica sparsim se produnt, quantum inter utrumque opus intersit, tibi facile ostendent."

(*h*) Primo *trium* solum *orationum*, pro Scauro, pro Tullio et pro Flacco *partes ineditae*, cum Scholiis antiquis ad or. pro Scauro item ineditis notisque Maii prodierunt Mediolani 1814. Sed haud multo post, quin eodem anno, lucem viderunt: M. Tulli Ciceronis *trium* orationum, in Clodium et Curionem, de aere alieno Milonis (habitae a Cic. a. u. c. 702); de rege Alexandrino (Ptolemaeo Aulete, in regnum, e quo pulsus erat, reducendo, habitae a. u. c. 698) *Fragmenta inedita*. Item ad tres praedictas Orationes, et ad alias Tullianas quatuor editas, commentarius antiquus ineditus qui videtur Asconii Pediani etc. Omnia ex antiquissimis Mss. cum notis criticis edidit *Angelus Maius* Mediolani 1814. Prius illud volumen, quod orationum pro Scauro, Tullio, Flacco, partes ineditas continet, postquam Francofurti ad Moenum, ad exemplar Mediolanense typis repetitum erat 1815, nuper denuo ediderunt, et emendationibus suis et commentariis egregiis instruxerunt duumviri clarissimi, *Cramerus* et *Heinrichius*, Kiliae 1816. 4. quo eodem anno utrumque volumen et cuncta haec inedita Ciceroniana in unum redacta, Londini denuo impressa esse feruntur. Iam omnia haec fragmenta in duobus codicibus rescriptis, qui, quod cum aliis multis e coenobio Bobiensi Benedictinorum (in Liguria sito), Patris Purpurati Borromaei opera, ineunte saeculo XVII, in bibliothecam Ambrosianam Mediolanum translati sunt, *Bobienses* appellantur, eruditissimus *Maius* detexit: *altero*, qui *Caelii Sedulii*, Christiani poëtae Saeculi V, edita opera continet, et saeculo circiter VIII aerae Christianae exaratus videtur Maio, Ciceronis scripturam multo antiquiorem, quam sub posteriori Sedulii latentem deprehendit, ad Saec. II. aut III. pertinere existimanti; *altero*, in quo etiam *Frontonis* et *Symmachi* reliquias reperit, latinam interpretationem Actorum Concilii Chalcedonensis exhibente, antiqua manu scriptam, quae ad VIII saeculum referenda esse videtur, quum erasos Frontonianorum operum ductus litterarum saeculo IV vel V assignandos esse, Niebuhrio iudice, nimis audacter pronuntiet primus editor Mediolanensis.

(*i*) Praefectus urbis fuit a. 384., Consul ordinarius 391. idemque Pont. Max. Vid. Heynii Censura ingenii et morum Q. Aurelii Symmachi in eiusdem Opusc. Acad. volumine sexto p. 1—18. ex qua pauca haec, plurium cognitione haud indigna, delibabimus., „Q. Aurelius Symmachus, Heynii verba sunt, omni virtute publica privataque ornatissimus, litterarum studia miro ardore est prosequutus, stili fingendi diligentissimus, meliore haud dubie seculo dignus, ei tamen in quo vixit divino aliquo munere datus: quandoquidem ille studia sua et virtutis et litterarum coniunxit cum aliis egregiis istius aetatis viris (Ammiano Marcellino, Avieno, Vegetio, Aurelio Victore, Eutropio, Claudiano, Macrobio; e Christianis Ausonio, Ambrosio, Augustino; e Graecis, post Libanium, Themistio, Himerio, Eunapio), ne maturius, quam postea evenit, litterarum bonarum studia interirent."

(*l*) Mediolani 1815. 8. cum 2 tabb. aen.

4. *Isaei* (*m*) *orationem de hereditate Cleonymi*, nunc primum *duplo auctiorem*, graece cum latina editoris interpretatione, dissertatione et notis, Mediolani 1815. 8.

5. *Themistii* (*n*) orationem hactenus ineditam in eos, a quibus ob praefecturam receptam fuerat vituperatus, graece cum latina editoris interpretatione, adnotationibus, dissertatione. Accedit eiusdem Themistii prooemium orationis funebris in patrem; cum brevibus lacunarum supplementis, Mediolani 1816. 8.

6. *Dionysii Halicarnassei* Antiquitatum Romanarum *Epitomen* (*o*) adhuc ineditam, cui eorum quae ex *novem* operis Dionysiani libris deperditis tempus nobis invidit, insunt excerpta.

7. *Philonis* Iudaei (*p*) librum *de virtute eiusque partibus*, quem graece cum interpretatione latina primus edidit *Maius*, praemissa dissertatione cum descriptione librorum aliquot incognitorum Philonis, cumque partibus nonnullis Chronici inediti Eusebii Pamphili, et aliorum operum notitia e codd. Armeniacis petita, Mediolani 1816. 8.

8. *Porphyrii* philosophi (Neoplatonici seculi III^{tii} p. Ch.) epistolam ad Marcellam uxorem, ibid. eod. a.

9. Denique *M. Cornelii Frontonis*, rhetoris clarissimi Hadriani et Antoninorum temporibus, cuius, ante Maium, praeter paucissima fragmenta, a Gellio et Charisio servata, non nisi

---

(*m*) Isocratis discipuli, et magistri Demosthenis; qui inter oratores graecos decem principes refertur, cuiusque ex *quinquaginta* orationibus olim genuinis *undecim* nunc exstant in causis iuris Attici privati scriptae, in quibus illa *de Cleonymi hereditate*, ordine prima, inde ab Oratorum Graecorum editione principe Aldina (Venetiis 1513), in omnibus editionibus mutila legebatur et magna sui parte truncata, quam, *tredecim* paginas implentem, ex codice Mediolanensi primus Maius V. Cl. graece vulgavit, latine vertit et annotationibus instruxit, eamdem in codice Mediceo-Florentino, ex quo nuper Isaei orationem de Meneclis hereditate Tyrwhittus (1785), et post eum Tychsenius (1788), ac nuperrime I. C. Orellius (1814) primi edidere, integram legi testatus.

(*n*) Philosophi et Oratoris clarissimi sub finem saeculi IV. aerae christ., qui urbis Constantinopolis praefecturam eodem anno (384) gessit, quo Q. Aurelium Symmachum urbis Romae praefectum fuisse ante vidimus. E sex et triginta eius orationibus, quas Photius legisse testatur, supererant triginta tres. Quibus nunc quarta et tricesima accedit, a doctissimo Maio reperta, et praeter argumentum supra descriptum, Theodosii M. laudes continens. Cf. Ephemer. litter. Ienenses a. p. (1816.) Nr. 125 sq. ubi multa orationis huius loca male affecta egregie emendantur.

(*o*) Haud diffitendum est, Cel. Maium operis indicem iusto splendidiorem fecisse. Sic enim librum inscripsit: *Dionysii Halicarnassei Romanar. Antiquitatum Pars hactenus desiderata, nunc denique ope Codd. Ambrosianorum ab Angelo Maio quantum licuit restituta.* Opus Francisco I. Augusto sacrum. Mediolani 1816. 4. — Quae quomodo se habeant ut intelligas, memineris oportet, Dionysii historiam romanam antiquiora Romanorum tempora, usque ad belli Punici primi initium, unde Polybius incipit, enarrasse *libris viginti*, ex quibus *novem extremi*, praeter fragmenta nonnulla, interciderunt. Sed, Photio teste (Cod. LXXXII) huius historiae universae *Epitome quinque libris* descripta, eodem Dionysio auctore, olim exstitit, quam in duobus bibliothecae Ambrosianae codicibus chartaceis saeculi XIV et XV, eisque valde corruptis, sibi, ut putat, repertam, primus graece cum latina versione Maius nuper vulgavit, omissa tamen ea epitomes parte, quae excerpta e primis XI libris adhuc servatis continet. Unde patet, non *ipsos historiarum* Dionysii libros qui deperditi erant, a *Maio* repertos in vulgusque editos esse, sed *solam eorum epitomen*, de qua, quin ipsum Dionysium auctorem habeat, eademque sit quae Photio laudatur, etiam dubitare licet. Cf. Censor Ienensis in Ephem. litter. 1817. Nr. 104.

(*p*) Cf. Hist. Graec. litter. elem. p. 300.

unus *de differentiis vocabulorum* libellus, nec magni pretii ille, in Grammaticorum Latinorum collectionibus exstabat, *plures Epistolarum libros*, aliaque varii argumenti opuscula, operumque fragmenta. Frontonem hunc, (in quo ut diutius detineremus lectores, et hominis summa fecit gravitas ac celebritas, et rerum atque elocutionis copiis amplissimis nos instruxit *Niebuhrii*, nuperrimi Frontonis reliquiarum editoris, elegans doctrina) Frontonem igitur, virum Consularem, causarum celeberr.mum patronum, oratorem suae aetatis eloquentissimum, honoribus, doctrina, auctoritate insignem, dudum cognovimus e Gellii aequalis testimonio (N. A. II. 26. XIX. 10.), e Dionis Cassii mentione (LXIX. 18. Κορνήλιος Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος cet.) ex Eumenii (*q*), Ausonii (*r*), Eutropii (*s*), S. Hieronymi (*t*), Sidonii Apollinaris (*u*) honorificentissima commemoratione. *Cirtae*, in Numidia oppidi et coloniae Romanae, municipem, hinc gente Afrum, se ipse dicit (Epp. ad Amicos II. 6. ed. Niebuhr. et ad Marcum Caes. II. 5. 21.); sed genere Romanum, certe Italum fuisse, vel ex ipso Cornelii nomine coniicere licet. Cui, postquam Romam se contulerat, magnamque, Hadriano imperante, inter eloquentiae magistros et oratores famam consecutus erat, hac arte instruendi traditi sunt duo Caesares, M. Annius Verus et, serius quidem, Lucius Commodus, qui posthac M. Aurelii Antonini et L. Veri Augusti nominibus imperium obtinuerunt. In Senatum romanum lectus, consulatum gessit bimestrem, quum Marcus Caesar duos et viginti annos natus esset, quod incidit in a. p. Ch. 143. Articulorum pedumque doloribus graviter conflict. us, et prope ad vitae taedium adactus est. Itaque quum saepissime domi aegrotus decumberet, conveniebant ad eum plurimi, qui eius sermonibus purissimis bonarumque doctrinarum plenis fruerentur, in quibus se ipsum fuisse testatur *Gellius* XIX. 8. collato eiusdem libri cap. 10. ubi »Memini, inquit, me quondam ad Frontonem Cornelium, pedes tunc graviter aegrum, »ire et visere: atque ibi, qui introducti sumus, offendimus eum »cubantem in scimpodio Graeciensi, circum undique sedentibus »multis doctrina aut genere aut fortuna nobilibus viris.« Et II. »26. »Favorinus philosophus, quum ad M. Frontonem Consularem pedibus aegrum viseret, voluit me quoque ad eum secum »ire. Ac deinde quum ibi apud Frontonem plerisque viris doc»tis praesentibus sermones — agitarentur; etc.

(*q*) Cap. 14. „Fronto romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus.“

(*r*) Grat. act. „In tanti te oratoris fastigium attollis?“

(*s*) l. VIII. „Fronto orator nobilissimus.“

(*t*) Ep. ad. Rusticum c. 12.

(*u*) IV. 8 et l. 1. ex quo ultimo loco discimus, tantam Frontonis in tradenda arte dicendi auctoritatem fuisse, ut qui eius disciplinam sectati essent, Frontonianorum nomine appellarentur. Cuius nominis causam in eo quaerit *Niebuhrius*, vir sagacissimus, (p. XXIII) „quod isti a ceteris oratorum familiis, ex Sophistarum graecorum institutione profectis, eatenus diversi fuisse videntur, quod tumidum floridumque orationis genus vitarent, ac de verborum delectu, *maxime ex priscis scriptoribus latinis*, solliciti essent: quae cura, cum accurata sermonis patrii cognitione coniuncta, laudem illam eximiam Frontoni nostro videtur comparasse: quum alii eius aetatis scriptores nulla severitate et pravis vocabulis uterentur, et in tumorem effusi, poëtarum verba adsciscerent, nec quidquam pro diserte dicto haberent quod simplex verumque esset.“

Quanta caritate Marcus Aurelius Antoninus et iuvenis Frontonem dilexerit, et per omnem aetatem coluerit, editae nunc utriusque litterae abunde docent (*x*). Statuam a Senatu eidem petiisse, Capitolinus testis est (in Marco c. 2.) Quod vix dubium aut mirandum videbitur, quum, eodem Capitolino auctore, Marcus Aurelius »tantum honoris magistris suis detulerit, ut »imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum »aditu, hostiis, floribus, semper honoraret.«

Filiam unicam, e Gratia uxore susceptam, *Aufidio Victorino* collocavit Fronto, viro belli pacisque artibus clarissimo, in cuius laudibus multus est Dio Cassius LXXII. 11., et ipse socer Fronto in ep. 2. *de nepote amisso* p. 147 Nieb. Ea plures illi nepotes peperit, quorum unum avus domi suae educabat; is trimulus defunctus est. Alterum avus nunquam vidit, natum mortuumque in Germania, ubi Aufidius exercitum adversus Cattos ducebat. Tertius nepos erat M. Aufidius Fronto, Consul a. 199. Hic filio suo infanti, Frontonis nostri pronepoti, Pisauri sepulcrale posuit monumentum, quod adhuc exstat, cuiusque inscriptio est *sexagesima nona in Marmoribus Pisaurensibus: M. Aufidio Frontoni, Pronepoti M. Corneli Frontonis oratoris, Consulis, Magistri Imperatorum, Luci et Antonini; Nepoti Aufidi Victorini, Praefecti Urbi, Bis Consulis, Fronto Consul, Filio Dulcissimo.*

De vita quando decesserit Fronto noster, aeque ignoratur atque annus quo eam sit ingressus. Sub Domitiano iam natum esse coniicit *Niebuhrius* p. XX. Quod si placet, certe septuagenarius diem obiisse supremum videtur, quandoquidem novissima, quae quidem exstat, Frontonis epistola, ad L. Verum Augustum, Parthis devictis ex Asia reducem, scripta est anno aerae christ. 166. Quae quum brevissima sit, totam hic apponere lubet (*y*).

»Domino meo Vero Augusto

»Quamquam me diutius (*z*) cum ista valetudine vivere iam

(x) Unius e multis epistolae loca quaedam apponam. „Quomodo (ad Frontonem magistrum suum scribit Marcus Caesar l. I. ep. 4. ed. Nieb. p. 25.) „istam necessitatem meam durissimam condigne incusavero, quae me istic ita animo anxio tantaque sollicitudine praepedito alligatum attinet, neque me sinit ad meum Frontonem, ad meam pulcherrimam animam confestim percurrere, praesertim in huiusmodi eius valetudine, prope accedere, manus tenere, ipsum denique illum pedem, quantum sine incommodo fieri posset, adtrectare sensim, in balneo fovere, ingredienti manum subiicere.“—„Cura.... omni temperantia, abstinentia, omnem istam tibi pro tua virtute tolerandam, mihi vero asperrimam nequissimamque valetudinem depellere. Et si ad aquas proficisceris, et quando, et nunc ut commode agas, cito, oro, perscribe mihi, et mentem meam in pectus meum repone“—„Vale mi Fronto iucundissime.—O qui ubique estis Di boni, valeat, oro, meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi, valeat semper integro, inlibato, incolumi corpore, valeat et mecum esse possit! Homo sanctissime vale!“ Similem tenerrimi amoris ac plurimae simul reverentiae affectum prodit epistolae octavae (ibid. p. 34.) exitus: Vale mihi maxima res sub caelo, gloria mea. Sufficit talem magistrum habuisse. Domina mea mater te salutat.“ cf. II. 3. p. 51. II. 6. p. 63. II. 13. p. 69.

(y) In Niebuhrii editione est *decima* Epistolarum ad L. Verum Aug. p. 174.

(z) Ex *Heindorfii* coniectura scripsi *diutius*. In Codice legitur *diu*.

»pridem pigeat taedeatque, tamen, ubi te tanta gloria per vir»tutem parta reducem videro, neque incassum vixero, neque in»vitus quantum vitae dabitur vivam. Vale Domine desideratis»sime. Socrum et liberos vestros saluta.«

Scripta autem Frontonis, quae in Codice Ambrosiano doctissimi *Maii* sollertia detecta, quasi rediviva in lucem nunc prodierunt, sunt *Epistolarum* libri ad T. Antoninum Pium, ad Marcum Caesarem, ad Eumdem *de eloquentia*, ad M. Antoninum Augustum, ad Eumdem *de bello Parthico* et *de orationibus* quas Imperator in Senatu aut habitas aut habendas magistri sui iudicio olim commiserat. Epistolis his insertae sunt *duae ipsius Antonini Pii* et *sedecim Marci Aurelii Antonini* ad Frontonem. Sequuntur *Epistolae de feriis Alsiensibus quatuor* ad M. Antoninum Aug. quarum *duae* ab ipso Imperatore scriptae sunt. Nomen accepere ab *Alsio*, Etruriae oppido, apud quod in villa Alsiensi Marcus Imperator tum rusticabatur. Has excipiunt *duae* Epistolae *de nepote amisso*, altera consolatoria M. Antonini, altera Frontonis. Deinceps leguntur *Epistolae* ad Luc. Verum Aug. et *libri duo Epistolarum ad Amicos*, tum *quatuor graecae*, inter quas una est *Appiani Alexandrini*. Denique accedunt *Principia Historiae* L. Vero dicata, qui Frontoni munus scribendi belli suis auspiciis gesti mandaverat, circa a. 165. — et tres lucubratiunculae Sophistarum more compositae: *Laudes fumi et pulveris*, ad Marcum iuvenem scriptae; *Laudes negligentiae*, ad idem tempus, ut videtur, referendae, et *Arion*, ex Herodoto expressa narratio (*a*).

Iam indice perlecto librorum, qui in principe Frontonis editione *Mediolanensi* (1815), splendida charta, et Augustorum, ad quos epistolas scripsit Fronto, imaginibus ornata, duo explent volumina; in *Berolinensi* autem (1816), triumvirorum eruditissimorum, *Niebuhrii*, *Buttmanni* et *Heindorfii* (immatura eoque acerbiori morte nuper bonis litteris erepti) communi studio properata, una cum Q. Aurelii Symmachi reliquiis, non nisi uno eoque satis modico volumine, octonis impresso, continentur: perlustratis igitur his librorum titulis monendi sunt primo lectores, vix unum aut alterum ex istis libris esse integrum, plerosque magna, quin maxima parte mutilos exstare: deinde ex ipso opusculorum recensu iam apparere, non *oratorem*, qua laude maxime apud posteros florebat, Frontonem ex reliquiis his cognosci posse: meras enim epistolas exhibent, nullam orationem, ne illas quidem, quarum ipse Fronto variis locis, alique, ut Sidonius Apollinaris (VIII. 10) et Minucius Felix c. 9., meminerunt. Quod utrumque, quamvis ab eo commemoratum (p. XXVI. sequ.), parum tamen recordatus esse videtur doctissimus Niebuhrius; alioquin iudicium, quod de scriptis his fecit (*b*) iusto severius, ne dicam iniquius in *illius* aetatis scriptorem, haud dubie mitigasset.

(*a*) Scripta Frontonis h. l. recensuimus eo ordine quo in *Niebuhrii* V. Ill. editione leguntur.

(*b*) Maxime p. VII. sequ. et p. XXVI.

Restat ut, speciminis gratia, locum quemdam integriorem e scriptis Frontonianis Vobis proponamus, ex quo veterem hunc scriptorem, qui dudum in deperditis numeratus subito revixit, accuratius cognoscatis. Quocirca delegimus fabulam *de Somni origine muniisque* insertam *tertiae* Frontonis ad M. Aurelium epistolae *de feriis Alsiensibus*. (Apud Niebuhr. p. 141).

»Iovem patrem ferunt, quum res humanas a primordio conderet, aevum vi medium uno ictu percussum in duas partis undique paris diffidisse: partem alteram luce, alteram tenebris amicisse; diem noctemque appellasse, noctique otium, diei negotium tradidisse. Tum Somnus nondum natus erat, et omnes pervigiles aetatem agebant; sed quies nocturna vigilantibus pro somno fuerat promulgata. Paulatim deinde, ut sunt ingenia hominum inquieta, agitandi ac turbandi cupida, noctes diesque negotiis exercebant, horam otio nullam impertibant. Tum Iovem ferunt, ubi iam iurgia et vadimonia nocturna sisti (*c*), et noctes quoque comperendinari (*d*) videat (*e*), cum corde suo agitasse de suis germanis fratribus unum praeficere, qui nocti atque otio hominum curaret (*f*). Neptunum multas et graves causas maritimas causatum, ne fluctus terras totas cum montibus obruerent, neve moti venti cuncta funditus percellerent, silvas et sata radicitus haurirent. Ditem (*g*) quoque patrem causatum, multa opera multaque cura templa infera (*h*) aegre coërceri, amnibus et paludibus et stagnis Stygiis Acheruntem aegre commoeniri (*i*); canem denique custodem apposuisse (*l*) umbris territandis, quae

---

(*c*) *Vadimonia sisti* h. e. tempus, quo praesentia litigantium postulata et promissa est (Termin), nocturnum constitui.

(*d*) *Comperendinare* est *iubere reum iterum adesse*, ut causa secundum agatur, vi vocis quidem in *perendinum* h. e. diem a crastino proximum, vel ab hodierno tertium; sed tamen de longiori etiam interposita mora usurpatur. *Noctes comperendinari* igitur eleganter dictum est pro *decerni* ut accusator et reus *nocte* se sisterent in iudicio ad causam iterum agendam.

(*e*) Aut *videt* rescribendum, aut *videret*. Heindorf.

(*f*) *Curare* cum *Dativo*, pro *curam alicui impendere*, ex antiquiorum scriptorum usu, cuius Fronto ubique studiosum se praestat. Sic Plaut. Trin. IV. 3. 50. „Sed ego sum insipientior, qui *rebus curem publicis* potius quam etc. Idem Truc. I. 2. 35. *Curare rebus alienis* suo vestimento et cibo.

(*g*) *Ditem* h. Plutonem. Vid. Cic. de Nat. Deor. II. 66. — *Dis pater*, ut *Iupiter pater*, usu prisco.

(*h*) *Templa* h. e. loca infera, antique dictum, ob altitudinem i. e. profunditatem inferorum, vastumque quod continere credebantur spatium. *Ennius* apud Varronem de ling. lat. VI. 2. „Acherusia templa alta Orci, salvete infera.“ Plaut. Mil. II. 5. 3. *Loca Neptunia*, *templa turbulenta*, de mari.

(*i*) *Commoeniri* pro communiri h. e. circummuniri, scriptura antiqua, quae verbi originem, *moenia*, servavit.

(*l*) *Apposuisse* intellige *se*. *Apponere*, *addere*, cum adiuncta notione animi seu consilii infesti, rigoris, minarum, terroris, res notissima. Vid. Heynius ad Virg. A. VI. 90. Ceterum totam hanc ῥῆσιν usque ad *addidisse*, quae parum ad rem facit, immo a loquentis consilio aliena videtur, abesse mallem.

aufugere ad superos cuperent, eique cani trinas latrandi fauces ac trinos hiatus, trinasque dentium formidines (*m*) addidisse. Tum Iovem, deos alios percontatum, animadvertisse, gratiam vigiliae aliquantum pollere (*n*); Iunonem plerosque partus nocturnos ciere (*o*); Minervam, artium atque artificum magistram, multum vigilari velle; Martem nocturnas eruptiones et insidias *mutare iuvare* (*p*); Venerem vero et Liberum multo maxime pernoctantibus favere. Capit tum consilium Iuppiter somni procreandi, in Deûm numerum adsciscit, nocti et otio praeficit, eique claves oculorum tradit. Herbarum quoque succos, quibus corda hominum Somnus sopiret, suis Iuppiter manibus temperavit: securitatis et voluptatis herbae de caeli nemore advectae; de Acheruntis autem pratis leti herba petita. Eius leti guttam unam aspersisse minimam, quanta dissimulantis lacrima esse solet. Hoc, inquit, succo soporem hominibus per oculorum repagula inriga: cuncti, quibus inrigaris, ilico post procumbent, protinus viribus tuis immobiles iacebunt: tum tu ne timeto; nam vivent, et paulo post, ubi evigilaverint, exsurgent. Post id Iuppiter alas, non ut Mercurio talares, sed ut Amori humeris exaptos Somno adnexuit. Non enim te solis (*q*) aut talari ornatu ad pupulas hominum et palpebras incurrere oportet, aut (*r*) curuli strepitu et cum fremitu equestri, sed placide et clementer pinnis teneris in modum hirundinum advolare, non, ut columbae, alis plaudere. Ad hoc, quo iucundior hominibus Somnus esset, donat et multa somnia amoena, ut quo (*s*) studio quisque devinctus esset: ut histrionem in somniis fautor spectaret, ut tibicinem audiret, ut aurigae agitandi.... (*t*) monstraret; milites somnio vincerent, imperatores

---

(*m*) *trinas — formidines* h. trinos dentium ordines, triplicem dent. seriem, ad formidinem obviis incutiendam; sumta metaphora a retibus venatoriis. Virg. Georg. III. 371 sq.

Hos non immissis canibus, non cassibus ullis
Puniceaeve agitant pavidos *formidine* pinnae

Ubi v. Interpretes. cf. Virg. Aen. XII. 750.

(*n*) *Vigilia* h. l. est actus vigilandi tempore nocturno; quo sensu *Celsus* quoque (Praef. 1.) „*Nocturna*, inquit, *vigilia* corporum suorum robora minuere." Frequentior tamen usus vocabuli est numero multitudinis, ut in illo apud Cic. Tusc. IV. 19. *Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? — Pollet gratia vigiliae* h. e. *gratissimae*, in magno pretio vigiliae sunt.

(*o*) *Iunonem* puta *Lucinam* quae praeest partubus quos *in lucem profert*; hinc *ciere partus* i. e. id quod partu editur, ut *ciere Manes nocturnos* apud Virg. Aen. IV. 490.

(*p*) *Mutare iuvare*. Locum manifesto corruptum sanare tentat Heindorfius coniiciens *tutari et iuvare*; quod parum placet. Mihi in mentem veniebat, *multum* iuvare. Depravata lectio librario debetur qui adverbium, per compendium scripturae expressum, in Infinitivum mutaverit.

(*q*) *Solis* pro *soleis*, *calceamentis*, *talaribus* quae proprie sunt Mercurii.

(*r*) *Aut* ex emendatione Heindorfii reposui: nam in Codice non legitur vox quamvis ad sensum necessaria.

(*s*) *ut quo studio* cet. Si nihil deest, ita explices: et multa amoena *pro summo cuiusque*, quo fertur, *studio*.

(*t*) *ut aurigae agitandi . . monstraret*. Excidisse aliquid hic suspicatus Cl. Maius, supplendum putat *strategemata* aut *artem*; minus feliciter. Recte Heindorfius: Omnium minime *strategemata*. Ipse legendum arbitratur: *ut aurigae*

somnio triumpharent, peregrinantes somnio domum redirent. Ea somnia plerumque ad verum convertunt. — Igitur, Marce (u), si quo tibi somnio hinc opus est, libens dormias tantisper dum, quod cupis quodque exoptas, vigilanti tibi obtingat.«

---

agitanti operam daret. Mihi in vocabulo *agitandi*, vel *agitanti*, quod sic nude positum, sine addito verbo *currus* vel *equos*, valde otiosum iacet, vitium latere videtur quod, loco *aurigae* reponens *aurigam* (ut paulo ante eodem casu *histrionem*, *tibicinem*) ita sanaverim: ut aurigam *digito* monstraret. Aurigam autem *in ludis Circensibus* intelligi puta.

(*u*) Ad *Marcum Aurelium* se convertit Fronto in ipso fine narrationis lusoriae, quem eumdem in principio his verbis allocutus erat: „Nunc quoque, si tibi fabulam brevem libenti est audire, audi."

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

B. STANISLAVS JVNDZILL, Phil. et Theol. D. Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars. Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IV^tae dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseantur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quae dicuntur, systemata, ad scientiae huius studia allevanda iuvandaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam prae ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, quum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis una cum auditoribus suis usurus.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. D. a Consiliis Status Reg. Soc. Litt. Vars. Sodalis Chemiae Prof. P. O. Elementa Chemiae Universae ad Institutionum suarum novissimam editionem exponet, experimentisque in publico Laboratorio agendis, quoad eius fieri possit, firmare conabitur diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI^mae dimidio ad XII.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D. Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII^vae dimidio ad IX, exponet principia Calculi differentialis regulasque differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, tum usum eiusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curva-

rum superiorum ordinum, demonstrabit. Perget hinc ad Calculi integralis tractationem, ibique 1. de integratione aget functionum unius variabilis, qualescunque eae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2. de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, quo loco praecipue disseret de separatione variabilium, de inveniendo factore, cuius ope aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, deque solutionibus particularibus; 3. de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit Methodum Variationum, cuius latissimus est usus in Mechanica caelesti et analytica. Postremo tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelogramma virium ac leges motus, ope analyseos exponet.

CAIETANVS KRASSOWSKI, Phil. D. Vniversitatis Adiunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XImae dimidium Physicam generalem traditurus, praemissis notionibus de universis corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae et Dynamicae solidorum et liquidorum in genere; quibus absolutis, sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aëre, Electricitate et Magnetismo; postremo doctrina de Luce, cuius singulas partes accurate exponet.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., a Cons. Aul., Universitatis Adjunctus, Mineralogiam ad principia Werneriana a Felice Drzewiński Phil. D. Vnivers. Adiuncto polonice edita, tradet diebus Solis, Merc. et Sat. ab horae III *dimidio ad IV pomeridianam.* Descriptis scientiae huius partibus, et indicatis corporum fossilium formis, quibus reperiuntur, praecipuis, in classes, systematis Werneriani ductu, ea dividet, eiusque divisionis rationem in diversis eorum signis notisque monstrabit. Tum accedet ad exponendam primam partem Mineralogiae quam Oryctognosiam vocant, quaeque in fossilibus simplicibus versatur; imprimis enumerabit characteres fossilium, disseret de characteribus externis, enucleabit Werneri in designandis formis crystallorum rationem, et systematum mineralogicorum Werneri et Hauy VV. CLL. fundamenta ostendet. Deinde systema Wernerianum secuturus, describet singula fossilia, recensebit cuiusque characteres externos et chemicos, patriam, situm in terra, usum et nomina, quibus a celeberrimis Mineralogiae Magistris insigniuntur, ac monstrabit perfecta omnium specierum exemplaria. Oryctognosiam excipiet Geognosia; sive doctrina de saxis et montibus, ubi describentur species petrarum; enarrabuntur partes quibus conglobantur saxa; exponetur ordo quo rupes diversae, juxta positae, montes formant segregatos, vel una copulatos; deinde agetur de petrificationibus, indicabitur ratio, cur organica corpora cum fossilibus mixta sint, et quo modo induruerint; describentur quoque species petrarum in quibus continentur corpora petrefacta; post quae omnia opiniones placitaque de variarum rupium ad se invicem relata ve-

tustate colliget. Denique disputabit de fossilibus nuper repertis, quorum indoles et proprietates nondum innotuere.

VINCENTIVS KARCZEWSKI, Phil. Mag. diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX, diebus autem Mercurii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII^{mae} dimidium Astronomicas lectiones a Trigonometria sphaerica analytica incipiet. Notione sphaerae et circulorum, ad astrorum positionem designandam in ea descriptorum, exposita, instrumentorum astronomicorum fabricam et usum temporisque notionem et divisionem tradet. Vsum Trigonometriae sphaericae in resolvendis problematibus astronomicis, quae ad positionem astrorum spectant, monstrabit. Motum terrae diurnum et periodicum circa solem, phaenomenaque ex utroque pendentia, ac totius systematis mundi ordinem exponet. Naturam et calculum refractionis, parallaxeos, praecessionis, aberrationis et nutationis docebit, motusque et positiones astrorum apparentes a veris distinguet. De catalogo astrorum disseret, legesque in eo conficiendo servandas commemorabit. Perget tum ad explanandos motus planetarum primariorum et secundariorum, et ad investigandas eorum positiones heliocentricas et geocentricas: in elementa orbitae cuiusque planetae inquiret, subiuncta ratione qua loca planetarum ex orbitarum eorum elementis erui et constitui possint. Eclipsium solarium et lunarium doctrina absoluta, usum astronomiae in Chronologia et in construendis horologiis solaribus monstrabit.

ANTONIVS WYRWICZ, Phil. D., diebus Lunae et Iovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Martis autem et Veneris diebus a IX ad XI^{mae} dimidium universae Algebrae principia, Ioanne Sniadecki duce, hoc ordine exponet. 1. Cunctis operationibus, tam in simplicibus, quam in exponentialibus, radicalibus et imaginariis quantitatibus, monstratis, aequationes determinatas, indeterminatas atque superiorum graduum illas tractabit. Quibus succedet explicatio serierum, et praecipue serierum recurrentium, rationisque qua earum inveniatur denominatio generalis; tum summationis earumdem serierum et fractionum continuarum; deinceps tractatio tam de primo genere functionum transcendentium seu Logarithmorum, quam de altero seu de arcuum circuli proprietatibus, simulque de tabularum tam logarithmicarum quam trigonometricarum condendarum ratione modoque, tum de huiusmodi calculi usu. 2. Applicationem Algebrae ad lineas curvas docebit; ubi expositis quantitatibus functionibusque ad aequationem cuiuscunque gradus competentibus per lineas geometricas, postquam varietates lineis respondentes ex varietatibus quantitatum aut functionum explicuerit, perget ad lineas secundi ordinis, sectionum conicarum nomine notatas, omnesque earum proprietates ex aequationibus secundi gradus demonstrabit. Denique tractabit de relatione variabilium in ultimis limitibus augmentationis aut diminutionis: ex primis viam cognoscendi propagines infinitas lineasque inter se comparandi docebit, ex alteris au-

D

tem demonstrabit proprietates propaginum infinitarum atque rationem comparandi omnes lineas cum circulo: unde originem et necessitatem differentialis integralisque calculi ostendet.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII Topographiam rationemque positionum geometrice delineandarum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodatam, docebit Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

IOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Med. et Chirurg. D., Status a Consiliis, Caes. Acad. Scient. Petropolitanae, Collegii Praefectorum rei medicae, et Caes. Societ. Philantrop. Petropol. Sodalis; Universitatis Litterarum Casanensis Membrum honorarium; Universitatis Caesareae Vilnensis Professor Anatomiae humanae et Medicinae forensis Publ. Ordin. et Ordinis Medicorum Decanus, praelectiones Anatomicas instituet diebus Martis et Veneris ab hora IX ad XI^{mae} dimidium; diebus autem Mercurii et Saturni ab XI^{mae} dimidio ad XII. Partes humani corporis omnes dissectionum recentium ope demonstraturus, praemissa divisione sceleti, musculos, membranas, viscera, glandulas, vasa, nervos, sensuumque organa tempore hiemali, dissectionibus utpote magis favente, perlustrabit; ossium denique siccorum singillatim structurae et nexus explicationem in tempus aestivum differet, totius doctrinae ducem secuturus potissimum Hildebrandi Anatomiam, partim a V. Cl. Brandtio, Professore Varsaviensi, lingua vernacula nuper editam.

Idem Medicinam forensem diebus Mercurii et Saturni ab hora III ad IV. duce Metzgero ex versione Latina Keupii, suis interpositis annotationibus, eo pertractabit ordine, ut imprimis agat de conditionibus actus legitimi formalibus et de norma inspectionis, ac relationis visi reperti in genere, quibus dein singularum quaestionum medico-forensium disceptationem separatim subiuncturus, totius disciplinae praecepta ad Medicinae aeque ac Iuris studiosorum usus accommodabit.

AVGVSTVS BECV, Phil. et Med. D., a Cons. Aul., ordinis S. Vladimiri IV. classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua Elementa secuturus; Mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue ac-

commodatam, cui politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDVS SPITZNAGEL, Med. et Chir. D., Status a Consiliis, Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. O., diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI^{mae} matut. dimidio usque ad XII primo Therapiam docebit generalem, quacum Materiam medicam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali tractabit singula corpora medica plus minus usitata, copiosius autem de iis disseret, quae in potioribus Europae pharmacorum officinis, maxime vero in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoea castrensi Ruthenica asservata prostant. Postremo Toxicologiam sive doctrinam de venenis exponet, eorumque noxam, antidota, et, si quis est, in re medica usum ostendet.

IPSEPHVS FRANK, Phil. et Med. D., Coll. a Cons., Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Pr. P. O., quotidie ab horae IX^{mae} dimidio ad X^{mae} dimidium, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadem ab horae X^{mae} dimidio ad XI^{mae} dimidium, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad febres et morbos cutis, sensuum, cerebri, medulae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum, cordis, vasorumque sanguinis circulationi inservientium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespert. observandis.

VENCESLAVS PELIKAN, Med. et Chir. D., Caes. Medico-Chirurgicae Acad. Petropol. Socius litterarum commerciis coniunctus, Chirurgiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. horis serius designandis Chirurgiam universam docebit. Declarata igitur disciplinae huius definitione, argumento, ab arte medica disjunctione, historiam eius litterariam breviter enarrabit, positoque Chirurgiae medicinalis et mechanicae discrimine, ad tractanda singula capita maxime Chirurgiae medicinalis accedet; qua iterum in generalem et specialem divisa, in priori disseret generatim: 1. de tumoribus inflammatoriis: videlicet de inflammatione, de suppuratione et abscessibus, de gangraena et sphacelo, de ambustione et pernione; 2. de tumoribus frigidis infinitis sive diffusis, intumescentiis dicendis: de induratione, oedemate, tumore lymphatico, emphysemate, contusione et euchymosi; 3. de tumoribus frigidis finitis sive circumscriptis, phymatibus appellandis, quales sunt: sarcoma, lipoma, tumor cysticus, polypus, scirrhus et cancer; 4. de morbis quos organicarum partium solutio haud naturalis affert, id est, de vulneribus, ulceribus, et fistulis. Deinde ad chirurgiam specialem pergens, dicet primum de systematum morbis, 1. Cutis et telae cellulosae, ubi de erysipelate, phlegmone, furunculo'

carbunculo, cutis vulneribus, nonnullisque exanthematibus tractabit. 2. De morbis atque laesionibus mechanicis, tum musculorum et tendinum, tum sanguiferorum et lymphaticorum vasorum, tum nervorum, tum etiam ossium, uberius aget. Denique expositis, ordine apud Anatomicos recepto, spontaneis et a violentia ortis organorum corporis singularumque eius partium morbis, ad Chirurgiam accedet mechanicam, eaque in Desmurgiam, Mechanurgiam et Aciurgiam, descripta, primo fasciarum materiam, parationem, virtutem, et usum docebit, viamque et rationem qua variis corporis partibus applicentur ostendet; tum machinarum structuram et usum aperiet; postremo operationes cruentas, instrumentorum ope acutorum perficiendas, in cadaveribus demonstrabit, diversas rationes modosque quibus peragantur, suo cuique iudicio interposito, indicaturus. Praeterea in nosocomio Clinico Chirurgico, ubi quotidie horis serius designandis mane atque vesperi aderit, disciplinae suae alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam ad usum accommodari oporteat, exemplis docebit, operationesque chirurgicas, quarum certe copia sibi facta fuerit, tum ipse coram auditoribus instituet, tum discipulis, studio et exercitatione iam provectioribus, se duce et moderatore, perficiendas committet.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANVS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., Ord. S. Vladimiri IV cl. Eques, Caesar. Acad. Scient. et Medico-Chir. Petropolit., Societ. nat. curios. Mosqu. aliisq. Societ. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1. Diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae II dimid. ad III Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2. Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet, 3. Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, protozoorum et polyporum, vermium intestinorum et exterorum, animalium radiatorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, molluscorum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

IOANNES WOLFFGANG, Phil. D., a Cons. Aul., Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lu. Mart. et Iov. ab h. II ad IV^tae^ dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam de medicamentis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua propositis omnibus corporibus, e triplici naturae regno in medicina usurpari solitis, eorumdem classes, ordines, genera et species indicabit; singulorumque exponet characteres, indolem, patriam, tempus, acquirendi vel colligendi et conservandi rationem; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corrup-

tis et falsis distinguere liceat. Altero tum semestri ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam perrecturus, explicatis primum iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in Pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet speciatim praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus perficiet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium ubique detegi possit.

NICOLAVS MIANOWSKI, Phil. Med. et Chir. D. et Prof. P. E. Regiae Societatis Oeconom. Varsav. Sodalis, quum primum ex peregrinatione Vilnam reversus fuerit, artis, quam obstetriciam vocant, praecepta, diebus et horis designandis, tradet, eamque exercentium in Hospitio obstetricio conamina reget et moderabitur.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D. Physiologiam docebit diebus Mart. Iov. et Ven. ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Vniversa de vita doctrina ad Andreae Sniadecki V. Cl. Theoriam Corporum organicorum strictim tradita, corporis humani physiologiam exponet, de functionibus vitae, quam vegetativam dicunt, tum de sensiferae illis, denique de generationis opere seorsum accurateque acturus. Cuncta vero disciplinae huius praecepta et animadversionibus et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, illustranda firmandaque curabit.

VINCENTIVS HERBERSKI, Med. D., Vniversitatis Adiunctus, Professoris Clinices Adiutor, studiosorum in nosocomio clinico exercitationes propius inspiciet et diligenter inviset.

ANTONIVS KIERSNOWSKI, Medicus, Anatomiae humanae Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lu. Mart. et Iovis post meridiem ab horae III dimidio ad horae IV dimidium; horis autem vespertinis, serius indicandis, studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis, invigilante Anatomiae Professore, moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Iuris Vtr. D., Iuris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum gentium et Iuris Canonici Prof. P. O., diebus

Lunae et Iovis ab hora XI ad XII. postquam 1. de Ecclesia christiana generatim, 2. de notione et divisione Iuris Ecclesiastici, 3. deque eiusdem tum fontibus, 4. tum collectionibus egerit; Ius Ecclesiasticum publicum internum et externum docebit; quo absoluto, eas Iuris privati partes exponet, quae circa personas et res ecclesiasticas versantur. Martis autem et Veneris diebus, ab horae XI dimidio ad XII. partem generalem Iuris Romani imprimis illustrabit, in qua a) de Iustitia et Iure, b) de speciebus Iuris Civilis c) de interpretatione Iuris, e) de obiectis eiusdem, f) et de negotiis iuridicis disseritur. Dein ad ius personarum accedens 1. statum hominum naturalem, 2. eumdem ex iure enarrabit, ubi, 3. de libertate et servitute 4. de statu civium et 5. de statu familiae disseret. Porro generalibus de Iure Rerum principiis traditis, aget de Iure in re singulari, nempe de Dominio, de Servitutibus ac de Iure pignoris, tandem de Iure in re universali, hoc est de Hereditate tam ex testamento quam ab intestato delata.

Denique diebus Merc. et Sat. eadem hora, naturam et indolem tum Delicti, tum Poenae ac Legum poenalium applicationem explanabit, celebriorum scriptorum iisdem de argumentis sententiis adductis atque perpensis.

IOANNES ZNOSKO Phil. D., Regiae Societatis Litter. Varsav. Sodalis, a Cons. Aul., Oeconomiae politicae Prof. P. O. diebus Lunae et Iovis ab horae VIII dimidio ad IX, Martis vero et Veneris ab hora IX ad X et dimidium 1. Oeconomiam politicam proprie sic dictam aeque ac doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, theoriam Adami Smith potissimum secuturus, eamque, additis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus, illustraturus. 2. Rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

IOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D., Coll. a Cons., Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O., diebus Mercurii ac Saturni ab hora IX ad X. Historiam Rossicam ad dictata sua tradet.

IOACHIMVS LELEWEL, Regiae Societ. Litter. Vars. Sodalis, diebus Lun. Mart. Merc. et Iovis ab hora VI pomeridiana ad VII. ad commentarios suos primo historiam universalem usque ad saeculum XIII cursim tractabit; deinde, ut auditores accuratam historiae notionem in animis suis informent, de disquisitionibus historicis aget, et historiam historiae exponet, praestantiores historicorum libros auditoribus commendaturus. Denique historiam universalem a saeculo XIV usque ad XVIII. fuse latiusque ita enarrabit, ut quaecunque res gestae ad culturam universam populorum, eorumque rempublicam et statum civilem maximam vim habuerint, exponantur.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Iuris Civilis Magister, diebus Lun. Mart. Merc. et Iovis ab hora X ad XI. Ius *patrium* vernaculo sermone traditurus, praemissis quae de legum tam Polonicarum quam Rossicarum ordine, fontibus, collectio-

nibus, condendi modo, auctoribus atque interpretibus, cognitu necessaria videbuntur, Ius civile privatum ita exponet, ut, servata iuris Iustinianei ratione, 1. de personarum, 2 de rerum iuribus, 3. de acquirendo dominio et 4. de contractibus disserat, iurisque patrii decreta cum Romanorum legibus perpetuo contendat. Nec monere omittet, quae leges patriae recentissimis Rossiacis constitutionibus confirmatae vel immutatae fuerint.

MATHIAS STANIEWICZ, Iuris Civ. Candidatus, diebus Mart. Merc. Ven. et Sat. ab hora VIII matut. ad IX. praemissa expositione facultatum hominis quum physicarum tum moralium, fusius disseret de fine actionum humanarum extremo, de libertate animi, de obligatione, iure, moralitate, imputatione, virtute, vitio, merito et culpa, praemio et poena morali; his pertractatis docebit *Ius naturae*, Ius naturale politicum et Ius naturale gentium, ducibus Achenwallio et Zeillero.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D. Can. Kamenecensis, Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. Martis et Merc. diebus ab hora VIII ad X^mae^ dimidium, Iovis autem die ab VIII ad IX Engelberto Klüpfelio duce, absoluta ea parte Tractatus de Dei natura eiusque virtutibus, quae post anni superioris lectiones dilucidanda restat, ad Eius externa opera, quae generali Creationis et Providentiae nomine continentur, quantum homini licet, consideranda, ac, pro doctrinae ipsius et usus auditoribus percipiendi ratione, explicanda accedet. Deinceps de opere Redemptionis, quod ipsum est Eiusdem Providentiae adeo singulare opus, ut ab eo tota pendeat christiana Religio, doctrinam uberius tractare instituet. Omnino genus dicendi simplex, apertum, a scholae subtilitatibus maxime alienum sectabitur, diligentissimeque curabit, ut adhibita vel nova verborum argumentationumque forma, prisca tamen S. Ecclesiae fides et integra Patrum doctrina retineantur.

Idem binis per hebdomadem horis, die Veneris, ab VIII^ae^ dimidio ad IX et dimidium, Historiam Ecclesiasticam, Xaverio Gmeinero duce, enarrabit. Ab antiquis scriptoribus ad medii aevi illos pergens, graviores res in Ecclesia gestas memoriaeque proditas, et fata quae vel incremento vel incommodo rei christianae servierint, ad sanioris Criticae leges recensebit, eaque ad theologicas quaestiones, quarum persaepe in re gesta cardo vertitur, in Dogmatices disciplinae subsidium, accommodata, suis quaeque locis expendet.

IOANNES CANTIUS CHODANI, Theol. D., Theologiae Prof. P. O., diebus Lu. Mart. Iov. et Ven. ab horae X^mae^ dimidio ad XI. officia hominis christiani erga alios homines, quum interna tum externa, enarrabit. Tum de officiis eius hypotheticis in societate domestica, civili et religiosa, variis insuper in vitae conditionibus locisque, disse-

ret. Tandem de universis virtutis christianae auxiliis eorumque usu legitimo tractabit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Vniversitatis Adiunctus, diebus Merc. et Ven. ab hora V. pomeridiana ad VI. hebraici sermonis praecepta tradet, et Chrestomathiam Vateri V. Cl. explicabit. Idem Iahnii V. Celeb. Archaeologiam Biblicam vernaculo sermone exponet.

IOANNES CHRYSOSTOMUS GINTYŁŁO, Theol. Magister, diebus, Lu. Mart. Vener. et Sat. ab hora IV ad V. praemissa ad mentem celeberrimorum scriptorum catholicorum Introductione generali in SS. Litteras, duce cel. Iahnio, libros historicos Veteris Testamenti ad Dereseri V. Cl. ductum enarrabit.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK, Phil. D., Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. sexies per hebdom. h. X. Homeri Iladem et Platonis de immortalitate animorum dialogum qui Phaedon inscribitur explicabit; in scholis Latinis autem, totidem diebus, h. II. pomerid., Horatii Carmina enarrabit, et Verrinarum Ciceronis orationum interpretationem, praeterito anno affectam, perficiet.

IOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D., Col. a Cons., Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis die excepto, ab hora XI ad XII. 1. Rossicae linguae indolem ac praecepta exponet, allatis exemplis, tam ex Rossicorum scriptorum operibus, quam ex sermonis usu firmanda. 2. Ad dictata sua disseret de litterarum, artium ac disciplinarum in Imperio Rossico initiis, deque rebus vel eventis, quae earum incrementa auxerint vel impediverint.

IOSEPHUS SAUNDERS, Caesar. Acad. Petrop. et Stockholm. Sodalis, Phil. D., Chalcographiae, Artium elegantiorum ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lun. et Ven. diebus ab hora V ad VII^{ae} dimidium, ad dictata sua, Gallo-Francorum utens sermone, alteram institutionis et disciplinae suae partem exponet, ab artis philosophia incipiens, addita vocabulorum in artibus tradendis receptorum, sive formularum, explicatione. Historiam autem artium pulchrarum ab Imperii Graeco-Romani, capta Constantinopoli, interitu repetet, earumque in Italia restaurationem, incrementa et vicissitudines enarrabit, ce-

leberrimas Italorum scholas, privamque, id est, propriam praestantissimorum artificum indolem, operumque quae edidere colorem, qui vulgo *stylus* dicitur, consideraturus, pariter atque vim quam in aliarum gentium Europearum artifices habuerint. Tum artium, videlicet sculpturae, picturae et chalcographiae, in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispania, Anglia, Dania, Suecia, Polonia et Rossia indolem fataque persequetur. Denique insignem artium vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, et varios usus indicabit, quos Politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis omnino eae afferre putandae sint: tum, quibus rebus ad earum incrementa et perfectionem opus sit, quidque diversi caeli tractus ac regiones eo conferant, ostendet. 2. Martis et Iovis diebus ab hora V ad VIImae dimidium, nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum lingua utens, Litteraturae Anglicae elementa tradet, ac primo Adami Smithii Theory of Moral sentiments, tum Fergusonis Civil Society, Addisonis Spectatorem et Knoxii Moral Essays; denique Popii Essay on Criticism, Collini et Grayi Odas, Miltonis Paradise lost, et Shakespearii select tragedies explicabit. 3. Artis Chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matutina usque ad meridiem.

ALOYSIUS CAPPELLI, Phil. et Iur. Vtr. D. Iuris Civ. Poen. et Can. Prof. P. O. diebus Mer. et Satur. ab hora V ad VI. tironibus linguae Italicae praecepta, provectioribus vero Litteraturae Italicae elementa exponet.

LEO BOROWSKI, Phil. Magister, Aesthetices elementa atque Poeseos et Eloquentiae theoriam tradet Eschenburgio duce in libro: Entwurf einer Theorie und Litteratur der schönen Redekünste noviss. edit. quater per hebd. Lun. Merc. Iov. et Sat. diebus hora IV — V pomerid. Praemissa utriusque artis brevi historia, poeticae solutaeque orationis per diversa genera indolem atque vim e clarioribus antiqui et recentioris temporis scriptoribus indicaturus, vernaculorum auctorum rationem praecipue habebit. Polonice etiam scribendi exercitationibus studiosorum haud deerit.

IOANNES PINABEL, a Cons. Aul. Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum Prof. P. E. Linguae Gallo-Francorum praecepta et litterarum elegantiorum historiam tradet diebus Mart. Ven. et Sat. ad hora III ad IV pomeridianam.

IOANNES RUSTEM, a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E. quotidie ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, exercebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Univers. Adiunctus, Linguae Graecae elementa traditurus, expositioni Grammatices sub-

F

iunget explicationem Chrestomathiae Iacobsii V. Cl., quam denuo hic recudendam curavit. Idem Luciani libellum qui inscribitur, Quomodo historia conscribenda sit, interpretabitur diebus Merc. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII.

ANDREAS IUSTINUS LEWICKI, Phil. D. Vnivers. Adiunctus Mart. et Iov. diebus ab h. I. ad II. Iulii Caesaris de Bello Civili Commentarios et Virgilii Aeneidem a VIImo inde libro vernacula lingua explicabit, studiaque auditorum ad scribendi et eximia scriptorum latinorum loca in patrium sermonem accurate et eleganter transferendi operam convertet regetque, tum bonae versionis dotes ac virtutes generatim exponens, tum maxime veterum Romanorum scriptorum vertendorum rationem modumque praecipiens.

BENIAMIN HAUSTEIN, Vnivers. Adiunctus, diebus Lu. Merc. et Ven. ab hora IV ad V Linguae Germanicae praecepta tradet, et discipulorum germanice scribendi exercitationes moderabitur.

Idem, iisdem diebus, hora V ad VI elementa Linguae Anglicae docebit.

CASIMIRVS JELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lu. Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Merc. et Vener. diebus hora III — IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III — V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski Vniversitatis Adiuncti.